

Sancti Nominis

ΤΕΤΡΑΓΡΑΜΜΑΤΟΥ

יְהֹוָה

ab abusu vindiciæ,
Oppositæ Observatori Hallensi,

Qvæs
Sub PRÆSIDIO

BRANDANI HENRICI
GEBHARDI,
S. Th. D. & P. P. Conf. Assiss. & Paſt. Jac.
h. t. Fac. Theol. DECANI, & Academiæ
RECTORIS,

placide Eruditorum συγγραφεων
exhibit.

FRANCISCUS CHRISTOPHOR. Weissenborn/
Gryphiswaldensis,
ad D. XIV. Decembr. M DCC IX.

GRYPHISWALDIAE,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Academ. Typographi.

57.

5. XXXII. E.

SLUB 170(6)

Coll. diss. A
70, 6



Inter Observationes Hal-
lensium Germanicas repe-
ritur etiam qvædam , von
der Unwissenheit der Theo-
logorum in dem Articul von GODET /
qvæ est prima Tomi tertii. Probare
autem thesin suam imprimis conatur
Autor ex nomine DEI incommuni-
cabili JEHOVA , cuius rationem
negat cuiquam esse perspectam. Quid
roboris insit argumento , breviter ex-
pendemus. DEUS autem bene vortat
qvod agimus !

THESIS I.

Ut Scriptura perfecta est , & qvæ §. 1.2.3.
ad salutem necessaria sunt plene tradit ,
ita & Theologis ex ea doctrinam cœle-
stem potentibus adscribi perfectio debet .

ANTITHESIS OBSERVATORIS.

Imperfecta est Theologorum systematica scien-
tia . Qvæ imperfectio ipsis probe agnoscenda , &
A cogi-

cogitandum, quod in rebus Theologicis praesens sit imperfectum, futurum autem perfectum & plusquamperfectum.

Prob.

Nam I. DEUS quoad essentiam non potest plene cognosci, id quod & Gentiles fatentur, qui DEUM propterea vocant πάγκρατος, tum Scriptura testatur Es. XLV. 15. ubi DEUS dicit Κύριος της σπείρας ΔΕΥΣ in mysterio, ein verborgener GOD / 1. Tim. VI. 16. οὐκών Φῶς ἀπέρσιον. Idem probat Dn. Sontagius in Dissert. de ignorantia laudabili Theologorum. Denique ignorant veram rationem nominis Jehovah.

R. 1. Dist. inter perceptionem absolutam, & limitatam. Illam, uti non est hujus seculi, ita nemo Theologorum modernorum sibi arrogat. Hac autem, quae sufficiens est ad consequendam salutem cadit in hoc seculum. Atque hac cum Theologis tum systematicis ipsorum repte tribuitur, duce Scriptura, quae ministram DEI sufficiente doctrina instructum vocat ἀρχιον, 2. Tim. III. 17. quae scientiam Theologicam ex se deponitam vocat σοφίαν, γνῶσιν, 1. Cor. II. 6. Eph I. 6. Λόγον σοφίας, Phil. II. 33. Phil. III. 8. & ab ea Theologos, σοφος, ἐπιστήμονας, 1. Cor. III. 13. 1. Tim. III. 14. 2. Ethnicis DEUS dicitur repte πάγκρατος, quia ipsis nullum aliud fuit DEI cognoscendi principium, quam lumen naturae. Hoc autem imperfectum, ad exhibendam sufficientem de DEO notitiam. Piis dicitur Κύριος absconditus, non ratione cognitionis, sed ratione salutaris perceptionis ac gustus. Est participium Hippael, & proprie vertendum, qui se ipsum abscondit. Locus 1. Tim. IV. 6. non negat omnem DEI cognitionem sed tantum visionem DEI intuitivam, quae in hoc seculum non cadit. 3. Dn. Sontagius ostendit non posse dari plenam & omnibus numeris perfectam DEI definitionem, quo ipso exponit, quid sit γνώσκειν εἰς μέρης 1. Cor. XIII. 9. Ita si ignorantia dicenda est, simplex ea est, non affectata aut prava dispositionis, sed laudabilis, quia sequitur monitum

nitum Apostoli μὴ ὑπερφρονεῖν παρὸ δὲ Φρονεῖν, Rom. XII. 3.
Apostolica, qvia ipse Paulus eam non diffiteat.

II. Ignorant, qvæ sit ratio nominis JEHOVA.

R. Dist. inter notitiam nominis JEHOVA grammaticam & Theologicam. Illa patet: Hæc minus, qvia in ipsam æternitatem se extendit, Exod. III. 14. VI. 3. Apoc. I. 4. 1. Cor. II. 8. 9. At qvam iniqvum est ex defecu notitiae comprehensivæ inferre insufficiam scientiæ Theologi Viatoris: Qvod ratio nominis JEHOVA non sit obscura, particulatum probandum est.

THESIS II.

Clara est nominis יהוה origo. Deducitur enim ex יהוה extitit. Exod. III. 14.

ANTITHESIS.

Vera Origo vocis יהוה adhuc latet.

§ 4. 5.

Prob.

I. Ignoratur, utrum sit primitivum an derivativum. Primitivum esse suadet locus Esa. LXIII. 16. ubi nomen JEHOVA dicitur esse יְהוָה. Et verisimile non est DEUM habere nomen dependens, qvi est Ens independens, qvia inter signum & signatum est proportio.

R. 1. In loco Esaïæ non dicitur, nomen JEHOVA est à seculo, sed nomen *Taum* est à seculo. Qvod autem est illud nomen? Hoc paulò ante memoratur, nempe *Patris*, Redemptoris. Hoc nomen non ab æterno DEI fuit: Ab æterno enim DEUS non habuit populum, sed à seculo, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ἀπὸ ἀρχῆς. Ita enim usurpatur sæpe יְהוָה in sensu longi temporis, & sic venuisse sæpe conjungitur יְהוָה עַל מַעַל in seculo in seculum, qvod explicatur יהוָה עַל מַעַל הַבָּא à seculo hoc ad futurum. 2. Ineptum est dicere, DEUM in æternitate habuisse nomen. Usus nominum est, ut res à se invicem distingvantur. Qvia ergo

A 2

ab æter-

ab aeterno non extitere res, sed solus DEUS, nullo ipso opus fuit nomine, quo à rebus discerneretur. Si autem nomen JEHOVA ipso in tempore positum est, in hominum gratiam positum est, ut haberent quo DEI essentiam ab aliarum rerum essentiis dignoscerent. Ut ergo cœteria nomina suas formas petunt à verbis e.g. ADAM ab אָדָם speciosus fuit, CHAVVA ex חַוָּה vixit, NACHASCH ex נַחַשׁ sapiens fuit: Ita & JEHOVA derivabitur ex הָיוּת fuit. Qvia autem esse tam generale est, ut omnibus competit rebus, propterea formatio vocis וְיֻהָה plane singularis esse debuit. Male seqvitur: DEUS non est ens dependens, Ergo nec nomen DEI dependet à radice. Qvæ consequentia ratio? qvia inter signum & rem signatam debet esse proportio. Quid hoc ad rem? Inter signum & signatum debet esse proportio qvoad rem & sensum, non qvoad formationem grammaticam.

II. Pono וְיֻהָה derivativum esse & descendere ex הָיוּת, sed esse Heemanticum, nondum tamen constat, utrum à Præterito an Futuro Kal originem trahat.

R. Exemplo nominis JEHOSCHUA & JEHOSEPH, Psal. LXXXI. 6. constat voces sœpe ex diversis temporibus aliquid trahere. Nomen יְהֹוָה constat ex præsenti הָיוּת futuro הָי֔ה & præterito הָיָה. Docent hoc puncta subiecta, qvæ præsens futurum & præteritum innuunt. Qvod ita formatum sit hoc nomen, id non tantum probat Judæorum testimonium, sed & Johannes, qui nomen JEHOVA exponit per ὅτι καὶ ὅτι καὶ ὅτι ἐρχόμενος, Apoc. I. 4. & cap. XVI. 5.

III. Rectius ex הָיוּת deducitur, ærurnna notatqve deletorem. Hunc sensum ipse inesse innuit DEUS, Exod. V. 3. ubi nomen וְיֻהָה qvad deletorem notat, nomini El Schaddai qvad beneficium signat, opponit.

R 1. Contra genium lingvæ Hæbrææ est nomen derivari à nomine. 2 Sensus deletoris minime probari potest ex Exod. V. 3. Qvæ sequela est. JEHOVA opponitur El Schaddai: Ut ergo EL SCHADDAI notat beneficium, ita JEHOVA deletorem. Unde enim proba.

רְוֵי רֹהֶה שְׁרֵי *beneficium* notare? Fit שְׁרֵה ex שְׁרָה ut à שְׁרֵה שְׁרֵי וּרְהַיִת. Jam vero שְׁרָה & שְׁרֵד notant *vastavit*. Observat autem Rabbi Samuel apud Abenesram deduci vocem ex radice Ara- bica in significatu *Omnipotens*. Ac confirmant eam significatio- nem LXX. qui plerumque verterunt πάντας οὐκέτορα, πάντα ποιή- σαντα. Horum autoritates non rejiciendae, cum Lexica deficiuntur. Sed & ipsa Scriptura hunc in voce conceptum confirmare videtur. Quotiescumque occurrit in historia Patriarcharum, usurpatur non in reali collatione, sed vel in promissione, Gen. XV. 1. XXXV. 11. LXVIII. 3. coll. XXVIII. 13. sqq. vel in appreicatione beneficiorum divinorum, Gen. XXVIII. 3. XLIII. 14. XLIX. 25. vel in commi- natione pœnarum, Es. XIII. 6. Contra nomen JEHOVA in reali beneficiorum collatione, vel in commemoratione beneficiorum collatorum adhiberi solet. Ita adhibetur Gen. XV. 5. Ego JEHOVA, qui eduxi Te ex Ur Chaldeorum. 3. Finge JEHOVA ex הָלָה per- nicies deduci, deletoremque notare, annon in eo sensu Patriarchis innotuit? Annon tempore Abrahami numerosum delevit Amra- phelis exercitum? Gen. XIV. Annon Sodoma & vicinas urbes sul- phure igneo obruit? Annon tempore Isaaci Amorai à Moabitis; tempore Jacobi Horai ab Esavo sunt expulsi, uti constat ex Num. XXII. 26. 4. Et quia audacia asseri potest ipsum nomen JEHOVA qvoad literas & syllabas Abrahamo suisse ignotum? Contrarium patet ex Gen. XV. 2. 5. 6. 8. Ex qvibus rationibus inducimur adhuc inhætere communi explicationi hujus dicti, nec novam, quam Dn. Autor ipsi imponit, amplecti. Ego sum JEHOVA: Apparui Abrahamo, Isaaco ac Jacobo, &c. DEUS omnipotens, nempe qvoad promissionem boni, at qvoad nomen JEHOVA, qvoad realem collationem, ipsis haut innotui. Hinc Hebr. XI. 23. di- cuntur Patriarchæ μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας ἀλλὰ πόρρω- Σεν δύτας idōnes.

IV. Sunt, qbi JEHOVA ex יהָ derivant, quam derivatio- nem ipsa ratio comprobat, qvæ polysyllabicas voces docet de- scendere à monosyllabicis & dissyllabicis. Probat inventum Neu- manni, qvod cum plausu amplexus est eruditus orbis.

R. 1. In derivandis vocibus ratio usum seqvi debet. Jam vero usus probat multa dari derivata monosyllabica ρη / θη / αι / ει &c. &c. Sic & in Greco Φλοξ à Φλέγω est: in Lat. Pax, Ius, Rex, derivata suis primitivis sunt minutiora. Non confundenda est ratio derivationis physicæ cum derivatione grammatica. In physicis tenuerunt semen, at fructus amplius. 2. Neumann inventum non invenit plausum nisi apud novitatum amatores. Quid significatio-
nis illa semina in quas radices resolvit, habeant, nulla firmitate ac certitudine asserere potest. Quamdiu autem sana ratio non videt certum ac immotum asserti fundamentum, fidem asserto non adhibet. 3. Jehovah à Jah derivari nulla verisimilitudine assertur. Decursum esse censem ex Jehovah, adeoq; ab eo deduci. Habet autem eandem cum Jehovah radicem יהוה & forte imme-
diate ab eo deducitur, quanquam modo plane peculiari & sine exemplo.

THESIS III.

*Quia nomen JEHOVA radicem habet יהוה,
non ignota nobis esse potest ejus significatio.*

ANTITHESIS.

§. 6.7. Etsi ab יהוה deducitur, tamen sensus est obscurus.
Prob.

I. Ignoravit cum Lutherus & LXX. interpretes, qui verterunt κύριος, quid autem hujus vocis significatio ad יהוה fuit? Ignoravit Petrus Galatinus, qui ait, alios interpretari gene-
rantem, alios, qui essentiat, alios, qui ut causa unus omnia continet.

R. 1. Mala omnino illatio est: Quidam ignorant significatum nominis JEHOVA, Ergo sensus ejus est obscurus: Si nomen JE-
HOVA ab יהוה effendo deducitur, habebit etiam effendi significa-
tum, & sic nota erit ejus significatio. 2. Lutherus secutus est in ver-
sione LXX. qui vocem יהוה verterunt per κύριος, sequentes jam-
tum receptam apud Judæos nominis pronunciationem, per אֲדֹנִי
efferen-

efferentium, *Dominus*. Erant enim hi interpretes Judæi. Non autem seqvitur, LXX. in transferenda voce *Jehova* secuti sunt morem gentis suæ, Ergo nesciverunt verum ejus significatum. 3. Petri Galatini interpretatio veram vocis significationem non obscure sistit. Dicit enim significare primam causam, unum Ens, omnia continens, generans, essentians. Hi conceptus omnes recte deducuntur ex voce וָהּוּ, qvatenus à radice הִזְכָּרָה derivatu. Ita enim notabit ENS, & qvidem καὶ ἔχοντα tale, siqvidem Nomen DEI est. Si est Ens independens, non tantum significabit DEI existentiam, essentiam & attributa, sed & opera ejus ac beneficia continebit, tam generalia, Creationem & Conservationem, quam specialia, quæ DEUS in Ecclesiam speciatim confert. Hoc supposito significatus annon recte vocabitur Dominus? Hunc conceptum continere nomen JEHOVA non obscure apparet ex *Esa. XLII. 8.* *Ego JEHOVA, hoc nomen meum, et gloriam meam alii non dabo.* Apparet nomen JEHOVA tam late patere, ut omnem DEI gloriam, creationis, conservationis, redemtionis, sanctificationis in se contineat, ut qvemadmodum hanc gloriam cum nulla creatura DEUS habet communem, ita nec nominis sui JEHOVA usum cum quoqvm communicare possit.

II. Neqve constat, utrum nomen JEHOVA sit nomen simplex, an symbolicum, qvod tot contineat nomina quot literas. Posteriori sensu accipit Schickardus in hebræischen Trichter c. I. 16. Et probat Exod. III. 15. ubi vocatur יְהֹוָה memoriale. Habet hic consentientes plerosqve omnes Judeos, qui propterea vocant יהוה שְׁם nomen expositum, nempe per plura nomina explicabile, et si in eo dissentiant, utrum XII. an XLII. alia nomina in se contineat.

R. 1. Qvætitur de sensu nominis JEHOVA literali & genuino, non de Cabballistico & imposito. Schickardus Cabballisticum sensum amplectitur, quem tamen minime probare potest ex Scriptura. Qvod Exod. III. 15. attinet, ille nihil probat. Dicit ibi DEUS: JEHOVA DEUS Patrum vestrorum, DEUS Abrabæ, DEUS Isaaci, DEUS Jacobi, misit me ad vos: *Hoc est nomen meum, et hoc est*
memoriale.

memoriale meum in eternum. Hic dicitur JEHOVA est memoriale MEUM, non JEHOVA est memoriale NOMINIS MEI. Dum autem dicitur JEHOVA est memorsale meum, idem est ac si dixisset, JEHOVA est nomen meum. Nam nomen & memoriale sunt unum idemque. 2. Vocant Rabbini nomen JEHOVA שֵׁם הַמּוֹרֶשׁ nomen separatum; exponunt enim per שְׂיוֹחָר seorsim DEO competens, שְׁלֹשָׁה nomen proprium; aut juxta Munsterum, quod separatum est à nostro capitu. Majmonides quidem vertit expositum sed non in sensu Cabballatum: sed quia denotat DEUM significacione perspicua, conf. Anti-Barb. Amam. pag. 479. Prouti שְׁרֵשׁ duo habet significata, separandi ac exponendi seu declarandi; Ita quoque utraqve significatio voci מִפְרָשׁ adscribitur. Cabballæ nomen expositum dici ajunt, eo quod exponitur per XII. literas. Si roges Galaticum, quænam illæ sint XII. literæ, responderet, esse וּרוּחַ אֱבֹן בֶּן חֶקְרָשׁ i.e. Pater, Filius & Spiritus S. per has exponi nomen JEHOVA. Bechai ait, esse nomen וּרוּחַ rer repetitum. Qvod eodem fere recidit. Si enim in DEO conceduntur tres, quorum quisque vocatur JEHOVA, personarum Trinitas manifesta est: Qvod autem prima persona vocetur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus S. in Novo Testamento evidenter legitur. Unde etiam Galatinum expositionem nominis JEHOVA petuisse verisimile est. Exponitur etiam per XLII. literas, quam expositionem à Galatino datam etiam legere est apud Sixt. ab Amama pag. 508. Putaverim respici ad X Sephirot, quæ si תְּפִאָרָת in statu emphatico effertur תְּפִאָרָת XLII. literas continentur. Describitur autem in X. Sephirot DEUS tum quoad essentiam ac personas, tum quoad operationes suas in Ecclesia, conf. Hinckelmanni Detectionem fundamenti Böhmi. Qvodsi Cabballisticis speculationibus habena laxatur non tantum LXXII. literis locus est, per quas exponatur: sed & sexcentæ literæ componi possunt, ad dandam DEI descriptionem. Quid autem hoc ad rem? An hoc sequitur: Cabballæ nomen JEHOVA ad varias speculations trahunt, Ergo nomen hoc non habet genuinum significatum.

THESES

THESIS IV.

*Q*via nomen JEHOVA ab non deducitur
in sensu essendi & essentiandi, recte quoque per
DOMINUS exprimitur in versione Lutheri.
A quo enim omnia sunt, ille ab omnibus tan-
quam Dominus est venerandus.

ANTITHESIS.

Rectius fecisset Lutherus, si in versione sua semper retinuissest esse entia DEI nomen JEHOVA, neque nomen HERR pro ipso adhibuisset, quia sunt diversissimi sensus.

Ratio.

Nam I. nomen JEHOVA DEUM ab essendo denominat, & essentiam DEI juxta triplicem notionem temporis juxta Criticos exprimit. Nomen HERR autem nihil de sensu essendi includit.

R. I. Si nomen JEHOVA DEUM ab essendo denominat, significatio nominis minime potest esse obscura, quod antea tamen affirmaverat Dn. Autor. Hoc ergo i. fatetur Autor, JEHOVA DEI nomen esse: 2. Nomen JEHOVA DEUM denominare ab essendo. Unde 3. sequitur quod DEUM ab essendo in sensu exochico denominet: Ut ergo creaturæ sunt dependentes, ita DEUS ab esse dicetur independenter: Nam existentia per dependentiam est imperfectio, quæ per viam negationis à DEO removenda. Si ergo 4. DEUS ita ab essendo denominatur, ut solus sit independenter, necesse est omnes creature in essendo ab ipso dependere. Si 5. hoc, necesse est in nomine JEHOVA conceptum secundarium dominandi ponи debere. A quo enim omnia dependent, ille Dominus est omnium. Idem adhuc evidentius fieri potest ex alle-

B

gata

gata Criticorum hypothesi qvod nomen JEHOVA essentiam DEI
 juxta triplicem notionem temporis exprimat. Si ergo nomen JE-
 HOVA respectum ad tempus includit, includit etiam sensum do-
 minii. Si tempus creavit, creavit etiam res in tempore, ac pro-
 pterea est rerum Dominus. Apparet ergo nomen DOMINUS
 sensum essentiæ independentis præsupponere. Hinc patet, qvod
 B. D. Lutherus nomen JEHOVA non sine ratione verterit Herr/
 nomine DEO κατ' ἔξοχην competente. Audiamus autem ipsum
 Lutherum rationem afferentem versionis sua Tom. III. Germ. p. 469.
 in Jer. XXII. 6. Es hat die Hebräische Sprache fast bey
 zehn Nahmen/ damit sie GÖTTE nennet; unter welche
 ihrer viele sind / damit sie GÖTTE von seinen Werken
 nennet. Aber der Nahme JEHOVA, Herr/ bedeutet
 allein GÖTTE / wie Er ist in seinen Göttlichen Wesen:
 Diesen Unterscheid können wir in unserer Sprache nicht
 haben. Wir Deutschen heissen es alles Herr/ und kön-
 nen das Wort Herr nicht zwingen daß es GÖTTE
 allein heisse / deun wir heissen einen Fürsten Herr/
 einen Haß. Vater heisset man auch einen Herrn / ist
 uns Deutschen fast gemein. Daz wir aber GÖTTE
 auch einen Herrn nennen / haben wir aus denen Evan-
 gelisten/ die heissen ihn Dominum, Herr/ denen folgen
 wir / lassens auch darbey bleiben.

*II. Nomen DOMINUS nomen relativum est, at Nomen
 JEHOVA absolutum.*

R. Proptie nullum nomen est absolutum. Usus enim nomi-
 num est discernerē res à rebus: Ergo omne nomen relativum est.
 Unde priusquam res esse inciperent, DEUS nomine non indi-
 guit. Si itaque DEI nōmen cū rebus cœpit, hominibusqve in
 usum datum est, ut notam haberent, qva DEUM à creaturis di-
 scernerent, non erit prorsus absolutum, sed ut ens independens
 notat,

notat, ita se refert ad Entia dependentia, & sic conceptum domini virtualiter includit.

III. Confunditur nomen JEHOVA cum Adonai, quod latius patet.

R. Si vis nominis Adonai recte ponderatur, non patet latius nomine JEHOVA. Latet enim in ipso nomen JEHOVA, quod Kametz indicat propria nominis JEHOVA vocalis. Mystica enim punctatio nominis Adonai est, non grammatica. Adonai cum patach notat quidem Domini mei. Sed Adonai cum Kametz & quidem extra accentum distinctivum, Gen. XV. 3. 8. lectio est legibus grammaticæ contraria. Si ergo remoto Kametz literis Adonai sua genuina subdo puncta, erit אָדֹנִי Dominus meus, & sic in voce Adonai integra erit propositio אָדֹנִי יְהוָה Jehova Dominus meus. In hac autem propositione subjectum & prædicatum æque late patent. Qui est JEHOVA, est Dominus meus, in quo solo fiduciam colloco. Et is, in quo fiduciam pono, est JEHOVA.

THESIS V.

Nomen JEHOVA non est ἀνεκφώνητο, sed pronunciari debet secundum vocales subjectas Schewa, Cholem, Kametz.

ANTITHESIS.

Vera pronunciatio Nominis JEHOVA est perdita, nec quisquam ex Judæis illud pronunciare audet.

Ratio.

Hoc inde est, quia (1.) Templo stante solis sacerdotibus illud efferre, & quidem in Festo expiationis tantum concessum fuit, teste Buxtorff. in הוה. (2.) Facta Judæorum dispersione diversimode punctari cœpit, & ita modo per Adonai modo per Elehim legi.

R. i. Non tantum Pontifici maximo in festo expiationis, sed & omnibus Sacerdotibus in templo licuit efferre nomen JEHOVA. Id qvod ex locis à Buxtorff. allatis satis aperte constat. In Masschet Joma diserte scribitur בְּמִקְדָּשׁ אֹמְרוּם אֶלְעָן הַשֵּׁם בְּכַתְבּוּ בְּמִרְנוֹנָה בְּכַנְיוֹן In sanctuario pronunciam nomen JEHOVA juxta suam scriptionem, at extra templum in urbe aliud pro eo DEI cognomen supponunt. Si ergo lectum fuit nomen JFHOVA, habuit suas proprias vocales, Si vocales habuit, ex vel fuere eadem, qvæ hodie sunt, aut aliæ. Si aliæ probandum hoc Autori! Si eadem, nondum est pronunciatio ejus deperdita.

2. Legitur qvandoqve JEHOVA cum punctis voci Elohim propriis, at non semper. Plerumq; habet subjecta puncta Scheva, Cholem, Kametz. Qvod hæc sint puncta ejus propria, & qvod juxta ea pronunciari possit, & olim juxta ea sit prolatum, constat ex nominibus compositis יהונְרָב וְיהוֹשֶׁפֶט, in qvibus primariæ literæ nominis JEHOVA extant, eademq; compositio est, qvæ est in אלְנָתָן אֱלֹהָנָן: Nondum ergo periit genuina ejus pronunciatio. Nomen JEHOVA mutuari puncta sua ab אֲדֹנִי, falsa hypothesis est, qvis huic voci juxta leges Grammaticas non competit Kametz. Cum ergo אֲדֹנִי freqventer cum Kametz legatur contra grammaticas leges; rectius dicitur nomen Adonai mutuari puncta sua à JEHOVA, mutato tantum Scheva in Chateph-patach propter gutturalem.

II. Petrus Galatinus, aut Dionysius Cartbusianus primi fuere, qvi docuerunt, nomen tetragrammaton per JEHOVA efferendum esse, ut docet Jo. Bened. Carpzov. in Dissertat. de lectione τετραγραμμάτων.

R. Solas autoritates omissis rationibus urgere non est boni disputatoris. Habuit nomen JEHOVA sua puncta genuina Scheva, Cholem, Kametz, ante Petrum Galatinum & Dionysium Cartbusianum. Aut ergo frustra habuit, aut potuit secundum ea pronunciari. Frustra hæc puncta nomini fuisse subjecta, qvis afferat? Si movendi & pronunciandi nominis ergo sunt subjecta, manifesta


festa est nominis pronunciatio. Nunquam ergo periiit ea, quam
usu labiorum ex superstitione à Judæis non fuit trita.

2. Falsum est primum Petrum Galatinum aut Carthusianum
nomen JEHOVA pronunciasse. Pronunciavit illud juxta sua
puncta ante ipsum Raimundus Martini, qui vixit Anno 1278. ut
restatur Josephus de Voisin contra Capellum in Pug. fidei pag.
745. Column. 2.

III. Antiquissimi Patres dixerunt ἀνεκφώνητον, ἄρρητον,
ἄφεντεν &c. Idque non tam respectu literarum, quod ea græ-
ca lingua non potuerint efferri, carente Jod, Vau, He, siq-
uidem חָוָה לְוִי וְהֹרָה scite extulerunt ἵδα, Λευὶ, ἐυὰ, quam
respectu sensus, quod DEI essentiam humana lingua non pos-
sint exprimere.

R. Jam distingvere incipit Cl. Autor inter expressionem no-
minis JEHOVA literalem & expressionem realem. Illam antea
negaverat, veram nominis pronunciationem periisse dicitans.
Eandem nunc concedit, potuisse græcos Patres nomen Tetra-
grammaton efferre asserens, si voluissent, nec ipsis substituisse idio-
matis sui indolem. Si ergo nomen Tetragrammaton æque bene
potuit à Patribus græcis efferri, ut ἵδα, Λευὶ, ἐυὰ, non periiit
ipsius pronunciation. Si ergo nomen in se fuit pronunciabile, ali-
am rationem subfuisse necessum est, quæ ipsis expressionem nomi-
nis secundum literas & vocales disvasit. Ea hæc videtur fuisse.
Si voluissent nomen JEHOVA secundum omnes suas literas
plene exprimere, debuissent eas inflectere ad suæ lingvæ genium &
pro 'vocalem i, pro 'l, β, pro η, χ ponere. At inde emersisset
nomen idoli Ιωβαχ, & cum terminatione græca Ιωβαχθ;
cujus decursum βαχθ, Bacchus: ex JAH & ιαχθ. Hoc
ipso autem superstitionem Gentilium stabilissent, qui sua idola sat-
agebant ex Judæorum Scripturis probare, 1. Macc. III. 48. Ex-
panderunt libros legis, de quibus scribabantur Gentiles similitudines
idolorum suorum. Cæterum 2. ultro largimur Dn. Autori, no-
men DEI quoad rem & sensum non posse efferri. Ut enim illud
viatoribus est ακαλάληπτον, 1. Cor. II. 9. c. XIII. 12. ita etiam est
ἀνεκφώ-

ανεκφάνητος, 2. Cor. XII. 4. Denique si 3. ponam nomen JEHOVA & ratione originis & ratione significatus & ratione pronunciatio-
nis nulli hominum satis esse perspectum, quid inde? An deduci
inde potest Theologos ignorata ratione nominis DEI proprii, ma-
gnæ ignorantiae in articulo de DEO accusati debere? Id vero
asserit sine nota calumniæ haut potest. An enim vera & salutaris
de DEO notitia ex nomine DEI proprio JEHOVA petenda?
Quanta obsecro ignorantia adfuit sanctissimis Patribus veteris Ec-
clesiæ, si hoc supponamus, quos omnes nomen DEI pro αρρήτῳ
habuisse afferit Cl. Autor! Ut rem in pauca conferam, ita quasi
inferte vult Dn. Autor: Quibus non est perspecta ratio
nominis JEHOVA, illi non habent perfectam de
DEO rebusque divinis scientiam. Atqui Theologis
modernis &c. ERGO. Negata est utraqve propositio: Major
thesi I. num. 2. Minor thesi II. III. IV. quæ ab exce-
ptionibus Observatoris vindicatæ.



4. Disc 117a, line 6